



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

5 Quæ sit definitio essentialis relationis prædicamentalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

pectum. Vera ergo responsio est illa, quæ ultimo loco in eodem argumento quarto proposita est, nimirum, scientiam, & alia huiusmodi entia secundum essentialiam suam rationem non dicere respectum prædicamentalem, sed transcendentelem tantum, & ideo ut sic non pertinere ad prædicamentum ad aliquid. Quatenus vero scientia adiungi potest aliquis purus respectus accidentalis, & extra essentialiam eius, ut sic non pertinere ad prædicamentum qualitatis, sed ad aliquid. Iuxta quem sensum posset etiam explicari secunda Aristotelis responsio.

XX.

Erat vero ultima replica, quæ per interrogationem fiebat in illo quarto argumento, scilicet, quid necesse sit huiusmodi respectus accidentales & prædicamentales adiungere, & admittere, præter transcendentales. Si enim attente considerentur rationes, quibus à Doctoribus probari solet, dari relationes reales, illæ certe maxime probant dari in rebus huiusmodi respectus reales secundum esse, ut maxime videre licet apud Dium Thomam in 1. parte questionis 13. art. 7. & questione 28. art. 7. & questione art. 1. & 2. & Scotum in 2. distinctione 1. & alios supra citatos. Sed vero præter relationes transcendentales dunt prædicamentales, ab illis distinctione non videtur posse demonstrari. Nihilominus tamen sufficit communis Philosophorum consensus, ut ab ea sententia nullo modo recedendum sit. Ratio autem introducendi & admittendi huiusmodi respectus fuit, quia inuenimus multas predicationes respectivas accidentales, quæ non desumuntur ex solis transcendentalibus respectibus, ut esse patrem, si millem æqualem, &c. neque etiam ortæ sunt ex aliqua apprehensione aut fictione intellectus, sed ex rebus ipsis, in quibus existunt formæ, à quibus tales denominationes & predicationes oriuntur. Neque etiam tales denominationes sunt extrinsecæ, id est ab extrinsecis rebus aut formis desumptæ, nam res non dicitur similis alteri per quod in altera est, sed per id quod in se habet: & sic de cæteris. Hinc ergo intellectum est, huiusmodi denominationes desumi à quibusdam respectibus resultantibus ex coexistentia plurium rerum habentium ad id sufficiens fundamentum: quorum munus solum est referre & ordinare unam rem ad aliam, ita ut una alteram respiciat ratione alicuius fundamenti, quod in ea supponitur. Et hi respectus, quoniam peculiarem modum habent efficiendi, in proprio prædicamento collocati sunt.

XX.

Addo vero, hanc communem sententiam: & rationem eius faciliorem & verius similem fieri, si dicamus has relationes prædicamentales non esse novas res, aut modos reales ex natura rei distinctos ab illis rebus in quibus fundari dicuntur, sed illam res duplicem habere modum denominandi: unum per se, & (ut ita dicam) ex primaria institutione sua: alium quali resultantem ex coexistentia unius rei cum alia Prior modus denominationis, vel est omnino absolutus, vel si includat respectum, erit transcendentalis, qui sæpissime non postulat coexistentiam alterius extremi ad quem tendit, & quædam illam requirit, non ideo est, quia talis respectus confurgat quasi per accidens ex coexistentia talium extremorum, sed quia talis res est per se instituta ad actualiter exercendum aliquod munus circa aliam, quod exercere non potest nisi circa rem existentem: & hoc modo explicata quædam differentia relationum transcendentium supra tacta, optima est. Posterior vero denominatio est peculiari modo respectiva, & ex suo genere accidentalis, quia quod una res coexistat alteri, præcise spectando conceptum & rationem coexistentiæ, & extra rationem uniuscuiusque rei: & ideo denominatio etiam, quæ requirit hanc coexistentiam non ob aliam causam, nisi ut ex ea resultet talis denominatio, accidentaria est. Et ideo licet in resumatur ab eadem entitate, tamen, quia accidentaria

est, habet sufficiens fundamentum distinctionis, ut intellectus concipiat illam entitatem ad modum duarum formarum. Ac Denique, quia denominatio illa ex rebus ipsis sumitur, sufficit etiam, ut ratione illius speciale prædicamentum accidentis realis & respectivi constituitur. Hoc ergo modo videtur sufficiens ratio reddi & prædicta diuisionis, & constitutionis prædicamenti ad aliquid.

Hic vero occurrebat difficultas Theologa de relationibus diuinis, quomodo ad illas applicari possit doctrina data, & ad quod membrum dictæ diuisionis reuocandæ sint. Sed hæc disputatio ad nos non spectat, neque oportet ut prædicta omnia in illis relationibus locum habeant, quia illæ relationes non sunt accidentales, sed substantiales. Certum est tamen non esse relationes tantum secundum dici, sed secundum esse: neque esse proprie & in rigore relationes prædicamentales, quia substantiæ sunt infinitæ, & altioris ordinis, ideoque in nullo prædicamento collocantur: unde neque etiam habent illam imperfectionem seu modum essendi per resultantiam ex fundamento & termino, vel sunt, vel esse ut ratio producentis, verbi gratia, paternitas, vel per se producuntur per propriam productionem, aut (iuxta nostrum modum concipiendi loquamur) comprouducuntur & formaliter loquendo, per se attinguntur per ipsas origines, ut filiatio, & processio passiva. Sunt ergo illæ relationes altioris ordinis, eminenter complectentes quiddam perfectionis, & proprietatis, necessariæ ad verum respectum realem, reperiuntur in respectu transcendentali, & prædicamentali, seculis imperfectionibus.

SECTIO V.

Quenam sit essentia propriaque definitio ipsius ad aliquid seu relationis prædicamentalis.



Ve hæcenus disputauimus fere pertinent ad explicandam & definiendam questionem an sit relatio realis prædicamentalis, de qua hic agimus: obiter tamē multa attingamus, ex quibus facilius nobis erit essentiam huius relationis, & definitionem, quam Aristoteles in hac re approbat, explicare.

Relationis prædicamentalis definitio.

Dicendum ergo est relationem (de sola prædicamentali, iam est sermo) esse accidentem, cuius totum esse est ad aliud esse, seu ad aliud se habere, seu aliud respicere. Hæc definitio sumitur ex Aristotele in lib. Prædicamentorum. c. de ad Aliquid, ubi duas designat definitiones eorum, quæ sunt ad aliquid, quæ solum in uno verbo differunt. Prior est, ea esse ad aliquid, quæ id quod sunt, aliorum esse aut ad aliquid aliquo modo dicuntur. Posterior est, ea esse ad aliquid quorum esse est ad aliquid se habere. Tota ergo differentia est in verbo illo, dicuntur. Quod quidem præsertim in y Philosophorum frequenter usurari solet pro verbo essendi, ut ipsemet Aristoteles dixit: *Qualitatem esse quales quidam dicuntur*: & ideo multi volunt non esse admodum curandum de discrimine aut diuersitate inter illas descriptiones. Nihilominus tamen iuxta mentem Aristotelis constat illas esse diuersas, & in priori verbum, dicuntur, sumptum esse cum rigore & proprietate, ac præterea sub distinctione in illa definitione positum esse, ea esse ad aliquid, quæ id quod sunt aliorum sunt, vel aliquo modo aliorum esse dicuntur, ut indicetur, non esse de ratione relationis ut sit ad aliud, sed ut sit vel dicatur: & hoc voluit Aristoteles in secunda definitione, corrigere, ut in propria definitione prædicamenti ad aliquid solum relationes secundum esse, & non relatiua secundum dici comprehendantur. Ex illa

Quæ sit ratio
affertur
ad relatio-
nes prædicamentales.

illa ergo posteriori definitione, nostra desumpta est, vel potius eadem est cum illa: solum enim maioris claritatis gratia per quandam proportionem generis & differentie constituta & composita est.

III. *Accidens ergo positum est in illa definitione loco generis.* Per quod in primis excluduntur diuina relationes, quæ non sunt accidentia, sed substantiæ. Excluduntur deinde omnes substantiæ creatæ quæ relationes prædicamentales esse non possunt, ut ex dictis in præcedenti sectione constat. Excluduntur præterea relationes rationis, quæ proprie & simpliciter non possunt dici accidentia: cum accidens simpliciter dictum sub ente reali cōtineatur. Nec probo quod Cæcilianus 1. par. 13. art. 7. significat definitionem relationum datam in prædicamentis communem esse relationis rationis & realibus, quia data est (inquit) de eis secundum quod important ad, & ita ut abstrahant ab ente reali. Repugnat enim hoc Aristoteli, qui prius diuinitatem reale, & unum eius membrum posuit. Ad aliquid & postea hoc definiuit. Deinde ex illa sententia sequitur, aut relationes rationis constitui prædicamento ad aliquid, aut definitionem illam latius patere quam suum definitum. Quamuis ergo Aristoteles non posuerit expresse in illa definitione nomen accidentis illud tamen tacite subintelligit ex priori diuisione entis in nouem genera. Eo vel maxime, quod etiam illa posterior particula, scilicet esse ad proprie & in rigore sumpta, non conuenit relationibus rationis, sed tantum per quandam analogam imitationem seu proportionem, ut superius declaratum est. Et ideo per illam etiam particulam cum proprietate sumptâ possent relationes rationis excludi, quæ non tam sunt, quam apprehenduntur esse ad aliquid.

IV. Altera pars illius definitionis, quæ locum differentie habet, separat prædicamentum hoc à reliquis prædicamentis accidentium, nam illa cum sint absoluta habent suum esse in alio, non vero ad aliud, quod est proprium relationis. Statim vero insurgunt duæ difficultates.

Prima difficultas circa definitionem.

V. Prima est, quia tota illa definitio competit relationis transcendentalibus, nam etiam scientia habet totum suum esse ad aliud. Ad quam difficultatem, communiter responderi solet huiusmodi entia excludi esse ab Aristotele in secunda definitione auferendo verbum illud, dicuntur, quod erat in prima. Sed hæc responsio non est consentanea doctrinæ à nobis traditæ in superiori sectione, nam huiusmodi entia, concepta etiam prout in se sunt, includunt in suis rationibus essentialibus habitudinem ad aliud: non ergo tantum dicuntur, sed vere sunt ad aliud: ergo etiam ablata definitione verbo illo, dicuntur, vere illis competit definitio. Denique illud verbum solum est ablatum ad excludenda relatiua secundum dici: ostendimus autem hæc non esse relatiua tantum secundum dici sed etiam secundum suum esse, ergo non satis excluduntur. Existimo ergo huiusmodi transcendentales respectus excludendos esse per illam particulam, cuius totum esse est esse ad aliud, si in ea proprietate intelligatur, quam in fine præcedentis sectionis declarauimus. Nam illa entia quæ transcendentalem respectum includunt, non sunt ita ad aliud, ut totum suum esse positum habeat in puro respectu ad aliud, & ideo non respiciunt aliud sub pura ratione termini, sed sub aliqua ratione & exercendo circa illud aliquod munus, ad quod huiusmodi res sunt per se institutæ. At vero relatio, quæ hic definitur, habet totam suam essentiam in puro respectu ad aliud: & ideo illi specialiter conuenit, ut totum illius esse ad aliud sit, tanquam ad purum terminum talis respectus, seu habitudinis.

(.)

Si relatio habet esse in, quomodo sit ita ad aliud.

VI. Sed tunc insurgit secunda difficultas, quæ præcedentem augeat, nam hæc posterior definitionis pars videtur repugnare priori, nam si relatio est accidens, ergo non potest totum esse illius consistere in habitudine ad aliud: necesse est enim ut aliquid eius in subiecto sit, ut ea ratione accidens esse possit cum accidentis esse sit in esse. Ad quam difficultatem respondent aliqui, cum dicitur relatio habere totum suum esse ad aliud, intelligendum esse de esse proprio relationis, ut sic, quod est esse ad, non de esse quod habet commune cum cæteris accidentibus, quod est esse in. Et hinc ortum habuit opinio supra tractata de distinctione inter esse ad & esse in relationis, & quod esse ad ut sic abstrahat ab omni esse reali, & de se commune sit vniuersi relationibus rationis, & realibus. Veruntamen hæc responsio ex superius dictis contra prædictam sententiam satis refutata est. Primo quia de ratione accidentis prout in re ipsa existit non solum est quod in se secundum aliquam rationem genericam vel communem, sed etiam secundum propriam, & prout est talis forma in rerum natura: imo impossibile est quod forma informet vel afficiat secundum communem rationem, & non secundum aliquam propriam, cum hæ rationes à parte rei non distinguantur. Secundo, quia alias relatio non tribueret subiecto proprium effectum formalem, relatiuum, quia accidens non dat effectum formalem, nisi inhærendo & afficiendo: si ergo relatio non inest secundum propriam rationem: nec confert proprium & specificum effectum formalem. Tertio quia si illud esse proprium relationis quod dicitur esse ad, non inesset, nihil reale esset in rerum natura, & consequenter relatio prædicamentalis secundum propriam constitutum eius non esset reale quid. Sequela prior probatur, quia illud esse ad, ut sic non est substantia, ut supponimus: & si non inest, non est accidens: ergo nihil reale erit. Vnde merito D. Thom. in 1. distin. 25. quæst. 1. artic. 4. ad tertium dicit quod relatio realis secundum propriam quidditativam rationem ponit aliquid in eo cuius est relatio, quamuis illud quod ponit, non sit absolutum. Quod latius docuit in alio opere super primum sentent. ad Annibaldum distin. 25. artic. 4. ad tertium dicens: Quamuis relatio non ponat ex illo respectu aliquid absolutum, ponit tamen aliquid relatum, & ideo relatio est quadam res: si enim secundum relationem relationis sue respectus non poneret aliquid cum secundum suum esse ratione cuius ponit aliquid inherens, non cadat in genere relationis: non esset aliquid generis entis.

igitur ad difficultatem positam cōcedendum est, relationem secundum se totam, esse accidens, hæc enim ratio, ut in superioribus diximus, est quasi transcendentalis respectu nouem prædicamentorum. Vnde, cum dicitur totum esse relationis, esse ad aliud, particula exclusiua ibi virtualiter contenta non excludit cōcomitantia, seu extrinsecas & transcendentales rationes, quare sicut non excludit rationem entis realis, ita nec rationem accidentis & inherens. Solum ergo excludit esse absolutum, & indicat, esse relationis, ut sic non sistere in subiecto, quod suo modo afficit seu denominat, sed illud ordinare ad terminum, & in hoc posita esse totam formalem rationem relationis. Itaque licet similitudo verbi gratia, secundum totam rationem suam etiam relatiuam, concipienda sit ut forma afficiens rem quam denominat simile, tamen tota illius affectio in hoc posita est, quod illam rem ordinat seu refert ad aliam, & in hoc sensu dicitur totum esse relationis esse ad aliud se habere.

VIII. Dices hoc commune esse formis illis seu modis rebus & absolutis includentibus respectum transcendentalem, scientia enim ita inest & afficit scientem ut illum suo proprio modo ordinet ad obiectum sci-

bili

Dissoluitur

bile, neque aliter possit suum formalem effectum exercere: & idem est de potentia, vniione, & similibus. Respondetur concedendo in hoc esse aliquam similitudinem & proportionem, propter quam hæc forma dicuntur includere aliquem respectum secundum esse, licet transcendentalem. Differentia vero est illa eadē sæpe tacta, quod relationes prædicamentales consistunt in puro respectu: alię vero formę vel qualitates dñt proprium aliquod esse absolutum exercendo aliquod munus, ad quod natura sua ordinantur, in quo propterea includunt aliquam habitudinem: & ideo non ita habent totum suum esse ad aliud, sicut relationes prædicamentales.

Essentia relationis sine apta actu vel aptitudine referre.

IX.

Ultimo vero obiici potest, quia si relatio in abstracto consideretur, vt est forma quædam referens subiectum vel fundamentum, sic non est de ratione eius, vt actu referat, sed vt sit apta referre: ergo non consistit totum esse eius in esse ad terminum. Patet consequentia, quia esse terminum importat actuale exercitium (vt sic dicam) talis habitudinis ad terminum: Antecedens vero patet, tum quia communis ratio accidentis non est actu efficere sed aptitudine: tum etiam quia potest mens concipere relationem integram vt afficientem subiectum, & vt nondum referentem. Quomodo etiam Theologi aiunt, in diuinis concipi paternitatem vt constituentem primam personam & quasi adhaerentem illi, prius quam referenti: ergo non consistit ratio relationis in actuali respectu.

X.

Respondetur falsum esse antecedens: nam res non constituitur apta referri per relationem vt sic, sed per fundamentum proximum relationis: proprius autē effectus formalis relationis est actu referre. Alias nec distingueretur, etiam secundum rationem formalem a fundamento, nec requireret coexistentiam termini, nec vere diceretur totum esse eius positum esse in respectu ad aliud.

XI.

Ad primam ergo probationem antecedentis respondetur primo, aliud esse considerare an effectus formalis accidentis sit constituere actu tale: aliud vero an de essentia accidentis sit actu exercere suum effectum formalem: hæc enim duo distincta sunt. Vere enim dicimus, effectum formalem albedinis esse constituere actu album, & non tantum aptitudinem, quanquam absolute non sit de essentiali ratione albedinis vt actu conferat talem effectum formalem. Vnde etiam dici potest, quod licet de ratione albedinis, simpliciter loquendo non sit constituere actu album, tamen de ratione albedinis vt afficientis & informantis subiectum, est constituere actu album. Sicigitur in præserti in hoc posteriori sensu dicimus, formalem effectum relationis esse actu referre, quia hoc est quod ipsa per se primo cõfert formaliter subiecto, quod suo modo afficit.

XII.

Relationis essentia sita est in aptitudine affectione subiecti.

Adde vero deinde, non omni accidenti commune esse aptitudinem tantum afficere, sed quædam esse, de quorum essentiali conceptu est, vt non possint in rerum natura esse quin afficiant, vt de modis accidentibus in superioribus diximus. Relationes ergo in hoc posteriori ordine continentur, quia non possunt esse in rerum natura, quin actu referantur, eo quod non possint ab omni subiecto separata conservari, quin in re non distinguuntur a suis proximis subiectis, vt ostensum est: Quanquam non desint qui contrarium doceant vt Maior in 4. distin. 12. quæst. 3. Ledesm. 1. par. quarti, quæst. 28. art. 2. dub. 4. Qui aiunt, posse Deum conservare paternitatem, verbi gratia, creatam sine proprio subiecto, vel per se separatam, vel in alio subiecto. Putant enim paternitatem esse rem omnino distinctam a cæteris, & ideo consequenter loquuntur, præsertim quoad priorem partem

Nam quoad posteriorem impossibile apparet quod hæc paternitas ponatur in eo, qui non genuit hunc filium: alias vel constitueret patrem eum, qui non genuit, vel inhaereret alicui, cui non daret suum effectum formalem: verumque autem impossibile est. Si cut autem verius est, relationem non esse rem distinctam a fundamento, ita etiam verius esse non posse ab illo separatam, vel per se conservari. Quod si interdum distinguitur realiter relatio a subiecto remoto: eatenus, id est, quatenus fundamentum proximum relationis est aliqua res distincta a subiecto remoto. Vnde eatenus etiam potest talis relatio conservari separata a tali subiecto, quatenus illa res, quæ est fundamentum eius, potest sine illo subiecto conservari. Tunc autem relatio sic conservata afficit suum fundamentum per modum subiecti, & illud actu referre: quo modo quantitas consecrata est æqualis alteri, & albedo separata, esset similis alteri: & ita nunquam potest esse actu relatio, quia actu referat ad aliud.

Ad alteram probationem respondentur, impossibile esse concipere relationem cum suo effectui formali plene ac proprie concepto, quin concipiatur vt actu referens: sicut impossibile est concipere albedinem cum suo effectui formali integre concepto, quin concipiatur vt constituens actu album, quia non potest res integre concipi sine eo, quod est de essentiali ratione eius. Contingit tamen aliquando, vt intellectus noster concipiens aliquam formam vt afficientem, non concipiat distincte proprie ac integre effectum formalem eius, sed tantum confuse, sicut in hac communi ratione afficiendi, vel inhaerendi, nam quia hæc ratio est quasi transcendens, & inclusa in quolibet modo seu differentia formæ, ideo potest tota forma vt afficiens, confuse tantum concipi quoad effectum suum, vt si quis concipiat albedinem secundum se totam esse formam adhaerentem subiecto, & informantem illud, non quidem concipiet illam, vt constitutivam actu album, non quia ille non sit effectus formalis albedinis, sed quia diminuit & confuse concipit effectum eius. Ad hunc ergo modum potest concipi relatio secundum totam vt afficiens vel adhaerens, aut constituens quidpiam etiam si non intelligatur, vt actu referens, non quia effectus formalis relationis non sit actu referre, sed quia tunc non concipitur effectus formalis relationis proprio & adequato conceptu, sed confuse & communi. Atq; ita nobis contingit quando in diuinis concipimus paternitatem vt priorem actu referendi ad Filium: de qua re latius Theologi disputant.

SECTIO VI.

De subiecto, fundamento, ac termino ad prædicamentalem relationem requisitis.



Xplicitum an sit, & quid sit prædicamentalis relatio, nunc oportet exponere causas vel principia eius, quali actui sint & quatenus ei convenire possunt.

Cum enim hæc relatio non sit per se intentata in rebus, non habet proprie causam finalem quavis eo modo quo est, dici possit esse propter suum formalem effectum, vel propter suum terminum. Et simili ratione, cum per se non fiat, sed resultet, vel formaliter consequatur positum fundamento & termino, nullam habet vel requirit efficietam causam præter eas, quæ fundamentum & terminum efficiunt. Nisi quis velit ipsi fundamento aut termino efficietiam aliquam circa relationem tribuere, saltem per resultantiam naturalem: quod esset probabile respectu fundamenti, si relatio esset modus ex natura rei distinctus ab illo, tamen quia contrarium vt verum supponimus, ideo non putamus ibi intervenire resultantiam effectivam, sed quasi formalem. Rursum cum ipsa relatio sit forma quædam, non habet a-